

monuit, Senensem agrum ne pertransirent, quin, si pertransissent, eodem regrederentur. Oratores interim Neapolim misit, ejus salutem, & incolomitatem postulatuos; ac hi ferius, quam oportuit, pervenere, nam jam præmortuum reperere. Id autem perturbationis aliquid inter Franciscum, & Ferdinandum attulisse visum est, licet confectum cerneretur. Idcirco Federicus Senis, atque in agro per mensem moram traxit maximo Reipublicæ sumtu, donec, re quiescente, literæ à Francisco venire, ut cæptum iter proficeretur. Et Senenses Johannem Picolominum, & Andream Capaccium Oratores cum illo ad nuptias exornandas, ac celebrandas Neapolim miserunt.

Anno 1466. Solis defectio facta est die XX. Septembris mensis, & biduo post cornutus, veluti Luna visus est, cum ad Occasum tenderet, omnibus quammaximè admirantibus. Mense deinde Martio Franciscus Sfortia Mediolani Dux diem obiit extremum, & Galearius Maria filius à Rege Gallorum reversus, Principatum obtinuit; ad quem Senenses Oratorem gratulatum miserunt.

Anno 1467. Sartheani de Oppido Paulo Pontifici prodendo per viros sex tractatum est; ipse verò ut qui Senensium semper amicus existisset, eorum Legato, tunc Romæ agenti, rem omnem patefecit, qui cum ad Magistratum detulisset, sexcentos viros illum misit, quorum auxilio proditores tres capiuntur, ac debite ultimo supplicio afficiuntur. Sartheanenses autem in communem suspicionem adducti, Oratores XII. Senas mittunt, qui culpam in paucos rejicientes, ceteros expurgent. Eorum causa in XVIII. Viros demandatur, qui, re maturè perpensa arcem, construi decernunt, atque constituunt.

Terræmotus ingentes hoc anno fuere, qui circa Augusti mensis finem incipientes, per dies viginti perduravere, tanto mortalium terrore, ut in plateas plurimi dormitum exirent, ita ut pro incommodo multi languoribus afficerentur.

Anno MCCCCLXVIII. Calabriae Dux Alphonsus Ferdinandi Regis Filius Florentiæ rediens, Senas ingreditur, & quam splendidissimè, maximoque apparatu excipitur die X. Augusti mensis.

Anno verò insequenti Majo mense Hastiludium à Nobilibus Juvenibus magnificè exhibetur, & paulò post mense Julio Paulus Pontifex moritur, & in ejus locum Sixtus Quartus Natione Ligur, ac Patria Saonenfis, sus-

ficitur. Eodem verò tempore Julio mense Nicolaus Ildobrandini Comitis Filius, Petilianum cum pridem extra ageret, armato milite ingreditur. Pater autem cum non satis bene secum sentiret, præ timore in arcem confugit, Penellamque Patruem, qua concubina abutebatur, unà cum filio, quem ex ea susceperat, secum ducit, ac tandem obfisione circumdatus, deditioem fecit, jurejurando accepto, ne quid homicidii perpetraretur: quod nequaquam servavit Nicolaus; nam & Penellam, & Filium ex ea susceptum interemit, & Ildobrandinum genitorem expulit.

Volaterrarum Urbs ab aluminis fodina occasione accepta Anno 1472. à Florentinis defecit, qui eam, misso exercitu, Civibus quibusdam tradentibus, recepere & diripuerunt.

Subventio de mutuo pauperibus dando, quod Pietatis Montem dixere, hoc anno Senis constituta est, qua exiguo quidem sœnore in mutuum pecunia dabatur.

Cum nil apud nos per plures annos pertractandum offeratur, libet ea percurrere, quæ Civitatis nostræ hospitalitatem, munificentiam, ac splendorem valeant attestari; ut, quæ sit Senensis Populi innata benignitas, apud posteros innotescat. Nam præter ea,

quæ de Federico Tarentinorum Principe Ferdinandi filio superius enarravimus, Sigismundus Hercules Ferrariæ Ducis Frater Senis perquam honorificè comitatus pertransit circa Maji mensis initium. Is Neapolim proficiscebatur, Ferdinandi Regis filiam Fratris Hercules conjugem ad Virum ducturus, quam cum secum duceret, magno cum comitatu revertens, ac per Urbem Senarum iter faciens circa mensis Junii medium, maximo cum honore excipitur, publicaque convivia exhibentur; ac triduo sumtu publico aluntur.

Anno verò insequenti Aprili mense Christernis Daniae Rex, ac Sueciæ Senam Urbem cum Uxore ingreditur, Regulos triginta, ac equites centum & quinquaginta secum adducens. Romam hic votum exsolutus, ac Pontificem alloquutus proficiscebatur. Apparatum respuit omnem, & munera. Cùm tamen Romæ rediens, Kal. Maji Urbem ingrederetur, & Magistratus summus ad Pii Pontificis Porticum illi obviam factus, Umbellam deferens, consalutasset, ipsam subire noluit, sed ad Episcopi domum deductus à Magistratibus salutatur, ac splendidis quidem muneribus elargitur.